

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Domestica confabulatio. Petrus, Mida Puer, Iodocus

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

FAMIL. COLLOQVIA.

21

licum? B. Imò & latinum sono Gallicè. C. Nunquam igitur scribes (c) bona carmina. B. Cur ita? C. Quia periit tibi syllabarum quantitas. *Qualitas.* estne Lutetia immunis à pestilentia? B. Non est, sed perpetua non est: aliquando remittit sese, mox recrudescit: nonnunquam intermittitur, deinde recipit sese. C. Non sat erat malorum, ubi bellum est? B. erat, nisi secus esset visum superis. C. Annona caritatem istic esse oportet. B. Imò penuriam. Omnium rerum illic inopia est, praterquam sceleratorum militum. Bonorum virorum illic est mira vilitas. C. Quid accidit Gallis, ut bellum suscipiant cum (d) aquila? B. Quia movet illos exemplum scarabei, qui non cessit aquila. In bello nemo sibi non videtur Hercules. C. Non te remorabor diutius. alias largius nugabimur, cum erit utrique commodum. Nunc alio me vocant negotia quedam.

(a) Iocus est ex ambigua voce Gallus. (b) Proverbium vulgi. (c) Allusit ad hoc quod vulgus Gallorum perperam pronunciat accentus. (d) Aquila, Imperatorum insignia.

Domestica confabulatio. Coll. Heu. p. 44.

PETRUS, MIDA PUER,
IODOCUS.

P. Heus heus puer, nemon' huc prodit? M. Hic opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput! Quid adfers, mi Petre? P. Meipsum. M. Ne tu huc rem haud magni pretii attulisti. P. Atqui magno constitui patri meo. M. Credo: pluris quam revendi possis. P. Caterum, Iodocus estne

B 3 domi?

domi? M. Incertus sum: sed visam. P. *Quin tu potius abi, & roga ipsum, an velit nunc esse domi.* M. *Abita potius, sisq. tibi ipsi Mercurius.* P. *Heus fo-doce, num es domi?* I. *Non sum.* P. *Impudens, non ego te audio loquentem?* I. *Imò tu impudentior.* Nuper (a) ancille tuæ credidi te non esse domi: & tu non credis mihi ipsi? P. *Æquum dicis: par pari relatum.* I. *Equidem ut non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi.* Tibi posthac semper ero. P. *Sed tu mihi videre cochleæ vitam agere.* I. *Qui sic?* P. *Quia perpetuò domi latitas, nec usquam pro-repis: non secus atq. (b) claudus sutor jugiter do-mi desides.* Tu tibi situm contrahis. I. *Est quod a-gam domi, foris nihil est negotii; Et, si quid esset, ta-men hoc cælum me dies aliquot à publico cohibuif-set.* P. *At nunc sudum est, & invitat ad deambulandum.* Vide ut blanditur. I. *Si prodeambulare lubet, non recuso.* P. *Planè videtur ^{hoc}utendum cælo.* I. *Adsciscendus est unus aut alter congerro.* P. *Fiet, modo dicas quos velis.* I. *Quid si Hugonem?* P. *Haud multum interest inter Hugonem & nugo-nem.* I. *Agè, placet.* P. *Quid si Alardum?* I. *Homo minime mutus est. Quod auribus diminutum est, lingua pensat.* P. *Si videtur, Nevium adjunge-mus.* I. *Siquidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent consabulationes: su-perest ut locum dispicias amœnum.* P. *Ego verò tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pra-torum smaragdinum virorem, nec fontium vivas scatebras desiderabis. Dices dignam Musis sedem.*

I. Magni-

I. Magnifice polliceris. P. Nimum assides libris. Immodico studio te maceras. I. Malim studio marcescere, quam amore. P. At non ideo vivimus, ut studeamus, sed ideo studemus, ut suaviter vivamus. I. Mihi verò vel immori chartis dulce est. P. Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid voluptati fuit hæc deambulatio? I. Me quidem vehementer oblectavit.

(a) Allusum est ad id quod Cicero refert de Ennio & Nasica. (b) Plautinum est. Vide Chil. 3. Cent. prov. 10.

Alia.

ÆGIDIUS. LEONARDUS.

Æ. Quo noster Leonardus? L. Ad te ibam. Æ. Istud quidem facis insolens. L. Quamobrem? Æ. Quia jam annus est, quod nos non inviseris. L. Malo in hanc peccare partem, ut desiderer, quam ut obtundam. Æ. Imo boni amici nulla est apud me satisfactio. Imo quò crebrius venies, hoc mihi venies gratior. L. Quid interim agitur domi tue? Æ. Multa sane, qua nolim. L. Non miror. Sed jamne peperit uxor? Æ. Jamdudum. & quidem gemellos. L. Quid ego audio? Æ. Sic res habet: atq; illi jam denuo tumet uterus. L. Istoc pacto solet augeri familia. Æ. Sed utinam fortuna sic augeret pecuniam, ut uxor familiam. L. Jamne elocasti filiam? Æ. Nondum. L. Vide ne parum tutum sit virginem tam grandem detineri domi. Querendus est gener aliquis. Æ. Nihil opus. Jam proci complures illam ambiunt sponsam. L. Quid igitur superest, nisi ut è multis de-

B 4 ligas.